



**Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei
Praecepta Pars ...**

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

Sporer, Patricius

Salisburgi, 1713

Benevolo Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)



Benevolo Lectori.

EN, Amice Lector, jam iterum quarta vice in lucem emergit Decalogus Moralis. Et ut sibi viam ad Te, vel Tibi ad se paret, Prodrimum hunc seu Proemiale Tractatum, velut Isagogen Doctrinae Moralis in communi prae mittit, ut sic per prima & paulo altiora principia ingressus, facilius postmodum incēdat in particulari. Processit quidem hic Tractatus jam olim per modum Thesium, & sub nomine Tyrocinij moralis, modò verò in multis auctus & emendatus, alio titulo & methodo apparere voluit, ut non tantum Tyronibus, sed etiam Doctoribus (sanè hic non semper vitulum, sed saepe ritulum solum horrentibus) servire velle, & quandoque posse videatur. Cur autem iterum in hac formata, ita sepe ratim, & per partes tantum? nonne ornatiùs & pomposius in folio, vel qto prodisset? Audi. Omnibus scitu necessarius, omnibus omnia fieri, vel factus esse voluit: servire aequè ruri, ac domi: Omnibus animarum Curatoribus, tam Parochis, quam Religiosis. Illis praecipuè inter ambulandum, & pro commoditate statim ad saccum accommodabilis. His in suis Cubiculis & Cellis omnibus quasi simul. Quomodo autem illi facile gestabunt, aut accommodabunt inter ambulandum Tomum in folio? Et quomodo in Monasteriis plu-
res

res, vel omnes eo uti possent, si unus tantum vel alter Tomus in hoc vel illo Cubiculo seu Cella, aut sepeliatur sub pulvere, aut solum proponatur ad oculum in Bibliotheca illa: Noli me tangere? Capis has? utique. Sed ne habeas, quid causeris, ut tibi, ut omnibus pro voto satisfiat, en, statim simul & semel eodem passu concomitatur, & sequitur etiam in folio. Accipe ergo illum pro libitu in hac vel illa forma, lege & relege diligenter, non pœnitebit. Doctrina sana est; non nimis rigida: nec nimis laxa, ubique ad praxin pro moderno tempore casibus applicata: & qua alij fuse hinc inde tractant ac disputant pro & contra, hîc solidè & clarè quasi in compendium redacta, & decisa videbis. Decreta Pontificum circa Propositiones damnatas infra in fine annexas cautè observantur, & suis locis ubique pro occasione diligenter inseruntur tam in hac, quam in reliquis quinque partibus ipsum Decalogum totum explicantibus, qua in simili forma, & Methodo jam jam iterum sequuntur. Tu interim hâc fructuere, fave, & vale.

